

12. Ad volumina secundum et tertium juris canonici sermonem restringentes animadvertimus plura in iisdem esse considerata. Et 1^o. quidem habentur Rubricæ quæ nihil aliud sunt quam superscriptiones titulorum, quæ generatim exprimunt materiam tituli, ex. gr. titulus *de Constitutione*. Jamvero superscriptiones istæ opus sunt B. Raimundi, easque Gregorius IX. opus integrum approbans, fecit suas. Ergo authenticæ sunt.

13. Distinguendum vero est inter rubricas generales, quæ propositionem determinatam non exprimunt, et speciales, quæ nempe sensum et perfectam orationem continent. Generalis rubrica est: *de Rescriptis, de decimis primitiis et oblationibus, de Sponsalibus et Matrimonio, de Simonia etc.* Specialis esset: *ut Beneficia sine diminutione conferantur* L. 3. t. 12. *ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant* L. 5. t. 4. Porro generalis rubrica ex sui natura nullam legem exhibet; non vero idem de speciali dicendum; nam cum sensum completum exprimat, idest propositionem præceptivam vel prohibentem complectatur, servanda est ut verba Legislatoris, et in foro optimo jure allegari potest.

14. In capitulis titulorum legitur superscriptio, id est communiter dicitur ex. gr. 'Innocentius III. vel Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo'. Hæc superscriptio proprie legem non continet; cum vero authentica sit exhibet verbum Legislatoris; et quoniam præsumuntur omnia a Legislatore in suo codice in certa scientia et ordinata posita fuisse, solent auctores ex superscriptionibus argumentum inferre pro majore dignitate personarum vel cœtus vel sedis, si a Pontifice prius nominentur præ aliis. Hinc ex eo quod Cap. 23. — De Appellation. inscribatur 'Patriarchæ Gradensi et S. Vitalis Presbytero Cardinali' Doctores arguunt ex vi juris communis Patriarcham Gradensem fuisse præpositum dignitate Cardinalibus ex ordine Presbyterali. Idem Doctores cum glossa inferunt ex cap. 1. De Decimis in 6^o. quod Fratres Prædicatores præferendi sint Fratribus Minoribus: inscribitur enim caput istud 'Fratribus Prædicatoribus et Minoribus'.

15. Præter Capitulorum superscriptiones dantur capitulorum ipsorum summaria. Præponuntur scilicet cuilibet capiti verba quædam nigris characteribus notata, quæ breviter referunt ea quæ in capite disponuntur. Porro summaria hæc non sunt primitior operis pars, sed pro addiscentium utilitate inde fuerunt adjuncta,

Abbatemque Panormitanum præsertim et Joannem Andream auctores habent. Cum ergo a Greg. IX. non fuerint probata, vim legis non obtinent, ac tanti facienda sunt quantum cum capite ipso concordant. Hinc non semel adnotatur in summa 'Hoc dicit secundum unum intellectum, hoc dicit secundum alterum intellectum'.

16. Pro juris cultorum utilitate factum etiam est, ut cuilibet capiti breve quoddam circumscriberetur commentarium, quod *glossa* dicitur. Commentarium hoc privata confectum est auctoritate, ac proinde vim legis non habet; illud autem suscipimus solummodo ceu sapientem privati doctoris sententiam, quæ proinde non parvi ponderis est. Unde in scholis et in foro citatur.

17. Tandem animadvertimus quandoque in capitibus afferri rationes et principia juris, quæ a partibus litigantibus Pontifici forsitan proponebantur, quæque *partium allegationes* vel *pars exornativa rescripti pontificii* dicuntur. De hisce tenendum est non obtinere vim legis, a Pontifice enim referuntur pro rei claritate.

18. In jure canonico tradendo ipsum ordinem titulorum sequimur quem B. Raimundus servavit. Incipimus a primo libro qui *de personis* præsertim agit, quæ jurisdictionem in Ecclesia exercent. Materia autem quinque Librorum Decretalium sequenti versiculo indicari solet: 'Judex, iudicium, clerus, connubia, crimen'.

TITULUS I.

De Summa Trinitate et Fide Catholica.

1. Cum Deus sit fons et principium omnis justitiæ, tum Justinianus Codicem, tum Gregorius IX. sacrorum canonum collectionem ab augustissima Trinitate jure meritoque auspicantur. Verum de Ss. Trinitatis mysterio nostrum hic agere non est; de eo enim ex instituto Theologi tractant.

2. Secunda pars rubricæ 'de fide catholica' inscribitur. Nominè *fidei* in hoc titulo non intelligitur virtus Theologica fidei, quæ in interioris animi assensu consistit, sed fides in titulo objective potius sumitur, ac collectionem articulorum credendorum, seu symbolum et formulam fidei significat, et relativam professionem.

3. Occasione hujus tituli Doctores canonicam quæstionem instituunt 'quinam teneantur publicam seu solemnem fidei professionem edere'. Omittimus professionem fidei quæ in susceptione bap-

tismi, quæque ab hæreticis hominibus ad Ecclesiam redeuntibus, et quæ ab Episcopo in sua consecratione pronunciat; quæ fidei professiones vel in rituali vel in pontificali libro describuntur. Ad illam fidei professionem sermonem nostrum coarctamus, quæ a fidelibus sive clericis sive laicis emittitur ratione vel officii vel honoris suscepti in christiana republica.

4. Emittitur vero 1^o. fidei professio publica a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis in prima Synodo provinciali, quæ post eorum promotionem celebratur. Quod si id præstare renuerint, Episcopi comprovinciales ab eorum communione sese abstinere tenentur, simulque sub pœna divinæ indignationis debent de hac re certiore reddere Rom. Pontificem. *Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de ref. et const. Greg. XIV. quæ incipit 'Quas Apostolicis', 13. Mart. 1591.* —

5. 2^o. Provisi de beneficiis curam animarum adnexam habentibus, nec non de canonicatibus et dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis intra bimestre a die captæ possessionis, absque prævia monitione, fidem solemniter profiteri tenentur. *Trid. sess. 24. c. 12. de Ref.* Provisi de beneficio curato hanc professionem emittunt coram Episcopo, vel eo impedito coram ejus Vicario; provisi autem de canonicatu vel de dignitate in Eccl. Cathed. eandem fidei professionem bis pronunciant 1^o. coram Episcopo vel ejus Vicario, 2^o. coram Capitulo. Sufficit autem unica fidei professio, si in Capitulo præsens adsit Episcopus vel ejus Vicarius. Id tenuit S. Cong. Conc. in Cathac. 25. Jan. et 9. Feb. 1726.

6. Notandum est Concilium loqui de canonicatibus vel dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium. Hinc Canonici ecclesiarum collegiatarum vel dignitates vi juris communis non tenentur edere fidei professionem. Ita sæpe respondit S. C. Concilii et in specie in Avenionensi an. 1576. lib. IV. Decretor. pag. 128. Tamen juxta leges generaliter in diocesis constitutas, et præsertim juxta decretum Concilii Romani an. 1825. Tit. 1. Cap. I. in Provincia Romana Ecclesiastica omnes obtinentes quodcumque beneficium ecclesiasticum etiam simplex tenentur publicam fidei professionem emittere.

7. Porro cum fidei professio collationem tituli beneficii comitatur et dirigatur ad roborandam ipsam provisionem, possessionem fructus et jura beneficii tanquam proprii idest plene collati clerico; hinc eam non tenentur emittere, qui vere et plene de beneficio

provisi non sunt. Tales sunt coadjutores durante coadjutoria et vicarii temporarii.

8. Contra negligentes a Concilio infligitur pœna amissionis omnium fructuum beneficii ita ut iis possessio non suffragetur. Hæc pœna rite est intelligenda. Et primo quidem decretum Tridentini loquitur de fructibus Beneficii, non autem de quotidianis distributionibus, quas Clericus lucrari potest pro horis quibus Choro interest, licet professionem fidei non emiserit. Ita tenuit S. C. Conc. in Cathacensi diei 9. Feb. 1726, et legitur in l. 1. Decretor. pag. 65. Excipiunt tamen merito, nisi omnes fructus beneficii in distributionibus consistant. Ita Barbosa Jur. Eccl. Univ. lib. 1. c. 22. n. 74. ita Reiffenst. Proleg. in Jus Can. §. IX. num. 192. Nam in hac hypothesi distributiones tenent locum fructuum, et proinde subsunt dispositioni tridentinæ. Iterum 2^o. cum tempus utile emittendæ professionis duobus mensibus præfinitur, expleto jam ultimo horum mensium die pœna decurrere incipit, nec pro primo bimestri a capta possessione fructus amittuntur; quod resolutum fuit a. S. C. Conc. in causa Tirasonen. 11. Maj. 1782. Cæterum lapsus horum duorum mensium et pœna inde soluta non liberat provisum ab onere emittendi professionem; sed eam quamprimum emittere tenetur. Qua professione emissa, incipit facere fructus suos. Ex mente autem Conc. Tridentini alibi expressa, idest in sess. 22. de ref. c. 3. et in sess. 23. de ref. c. 1. §. *Si quis autem* fructus quos beneficiarius amittit ipso jure, etiam ante sententiam declaratoriam judicis, si de beneficio agatur quod habeat bona distincta, fabricæ Ecclesiæ vel alteri pio loco vel pauperibus arbitrio Ordinarii applicantur. Si vero beneficium ad massam communem Capituli pertineat, fructus hujusmodi massæ accrescunt.

9. Quæri potest quid valeant verba Tridentini 'possessio iis non suffragetur'. Hæc verba non excludunt jura quæ juxta regulas Cancellariæ possessor acquirunt in relatione ad titulum et proprietatem beneficii, ita ut non emissa fidei professione, possint beneficio exspoliari; sed excludunt quodcumque jus circa fructuum perceptionem, ita ut quoadusque fidei professionem Clericus non emiserit, fructus percipere omnino prohibeatur, nec quoad fructus se tueri possit regula Cancellariæ de annali vel de triennali possessione. Regulæ hujusmodi sunt 35^a. de annali et 36^a. de triennali possessione.

10. 3^o. Ex Const. Pii IV. diei 9. Decembris 1564. quæ incipit *Injunctum nobis* ad fidei professionem eliciendam tenentur illi

omnes prælati regulares, qui Monasteriis, Conventibus, domibus et aliis quibuscumque locis ordinum regularium etiam militarium præficiuntur. Notant Doctores hanc Constitutionem non esse undequaque usu receptam.

11. 4°. Ex alia Const. Pii IV. *In Sacrosancta* edita idibus Novembris ejusdem anni 1564 fidem solemniter profiteri tenentur sub pœna privationis officii omnes Doctores Magistri et cujuscumque artis vel facultatis professores tum laici tum clerici, qui in publicis Universitatibus vel Gymnasiis aut alibi lectiones habent, simulque illi qui ad gradus academicos promoventur, eandem debent professionem emittere.

12. 5°. Ex decreto conc. Romani superius cit°. in Provincia ecclesiastica romana professionem fidei emittere debent 1°. novus Vicarius generalis, Vicarii foranei, Procuratores et Promotores Fisci episcopalis, Cancellarii, et alii ministri Curiae ejusdem. 2°. Novi concionatores etiam Regulares; 3°. novi confessarii; 4°. docentes publice vel privatim Theologiam, Philosophiam, Jus Canonicum aut Civile, vel inferiores quaslibet disciplinas etiam Grammaticam; 5°. Medicinam et Chirurgiam exercentes. Contra contumaces constituuntur pœnæ in Bulla Pii IV. *In Sacrosancta* inflictæ.

13. Si quærat quænam sit formula professionis fidei, eam dicimus esse, quæ ab ipso Pio IV. in Cit^{is}. Const.^b. *In Sacrosancta* et *Injunctum* describitur. Hodie vero post Concilium Vaticanum in formula ante conclusionem, additio fieri debet, qua profitens dicat, se credere ea quæ in Vaticano Concilio definita sunt, et præsertim ea quæ respiciunt primatum Romani Pontificis, et ejusdem infallibile magisterium.

14. Quæstio inter Doctores instituitur utrum hæc fidei professio per procuratorem fieri possit. Veteres iique gravissimi auctores affirmativam sententiam propugnant. Navar. Sanchez, Barbosa Jus eccles. univ. l. 1. c. 11. n. 56. Reiffenst. Com. in h. t. §. 8. n. 182. Utebantur autem hoc principio 'potest regulariter quis facere per alium, quod potest facere per seipsum, nisi lege vel canone prohibeatur, et nisi fuerit electa industria personæ'. Quod principium fulciebant *c. ult. de off. Deleg.* §. 'Is autem' juncta Reg. 68. Juris in 6°. 'potest quis per alium, quod potest facere per seipsum'. Atqui tum Conc. Trid. tum Pius IV. non prohibent

professionem fidei fieri per procuratorem; nec professio fidei talis est actus, in quo censetur electa industria personæ. Ergo.

Verum, hisce non obstantibus, cum auctoribus adversæ Sententiæ standum est. Nam allatum principium ab auctoribus primæ Sententiæ, quod valet præcipue in re judiciali, casui nostro applicari nequit, in quo ideo a Conc. Tridentino et a Pio IV. obligatio fidei professionis emittendæ inducta fuit, ut illis temporibus, in quibus hæresis grassabatur, Ecclesia dignosceret fideles et clericos fide sincera imbutos, eosque distingueret a falsis fidelibus ac suspectis Ministris, qui vel omnes vel aliquos fidei articulos respuerent. Quisque ergo per seipsum ex mente Tridentini debet fidei professionem edere. Sed quæstio penitus absoluta est per sacram C. Concilii, quæ pluries hac super re interrogata, constanter respondit satis non fieri obligationi emittendi fidei professionem, si hæc professio per procuratorem pronuncietur. Ita præsertim in causa Catacensi prop. diebus 25. Jan. et 9. Feb. 1726. Cui præiverat alia decisio ejusdem s. C. in Valentina an. 1610. quæ legitur in l. XI. Decretor. p. 91. Quæ res videri etiam potest in causa Toletana 17. Apr. 1728.

15. Quod si quis intra bimestre non possit accedere ad residentiam, et habeat indultum absentiae, Sacram adeat Congregationem Concilii, quæ licentiam dare solet, ut si orator Romæ comoretur, fidei professionem emittat coram Eminent. Urbis Vicario, si extra Urbem regulariter coram Ordinario loci, cum onere tamen iterum fidem profitendi juxta præceptum et normam Tridentini, cum ad Beneficii residentiam pervenerit. Ita resolvit S. C. Conc. in causa Regiensi 1622. et in causa Bergomensi diei 22. Novembris an. 1630.

16. Tandem adnotandum est, S. Congregationem indulsisse, ut is, qui bona fide per procuratorem fidem fuerat professus, fructus Beneficii consequeretur, emissa tamen nova professione et facta aliqua eleemosina arbitrio Episcopi. Conferri potest causa Toletana diei 17. Apr. 1728.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

1. Quamvis scopus primi Libri Decretalium præcipue sit ut de personis seu de hierarchia ecclesiastica et de modo quo ea